

Griesheim,

Konr. Gerh.

De aetatis
longaevae
theologiae.

1729/30.

Ja
168^d



3
Æ

M

1
P. 53
D



3
7.
EPISTOLA
DE
ÆTATIS LONGÆVÆ THEOLOGIS,
QVA
VIRO
MAXIME REVERENDO ATQVE
DOCTISSIMO,

M. GEORGIO BASILIO
BRINCKMANN,

PASTORI COENOBII ILFELDENSIS
MERITISSIMO

NATALEM LXVII.

DIE II. FEBRVAR. MDCCXXIX.

GRATVLARI VOLVIT

GENER

P 534
CONRAD GERHARD GROSHEIM,

PASTOR NOHRÆ, WOLLERSLEBII

ET MOERBACHII.

NORDHVSÆ,
LITTERIS COELERIANIS.



EMITTA
P. MATH. LONGAME THEOLOGIC
N. 110
L. O. P. T. H. I. O
L. A. N. G. E. R. I. A. M. H. E. L. D. I. C. A.
M. S. T. I. S. S. I. M. O.
V. I. N. D. I. C. I. U. M.
DIE UNIVERSITÄT MÖDCHEN
CRAVIER
G. O. L. D. E.
C. O. N. T. I. N. E. N. D. I. T.
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E.
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E.
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E.

ani
clan
om
lii)
sim
Th
Ge
gac
cau
adh
(Re
qui
pre
mo



VIR
MAXIME REVERENDE ATQVE
DOCTISSIME,
SOCER OMNI, QVA PAR EST,
PIETATE COLENDE,

VITAM nostram omnino caducam & fragilem esse, vno ore omnes confitentur, siquidem experientia optima, rerum magistra, tot exemplis funestissimis hoc comprobat. Vt inde Rex David, animo alias heroico praeditus, voce plane lamentabili exclamet: Psalm xxxix. v. 6. **אך כל-הכל כל-אדם** Profecto omnimoda vanitas omnis homo (iuxta versionem Tremellii) *Vita haec dum crescit, simul decrescit, dum augetur, simul minuitur; quidquid ei accedit, simul etiam decedit,* Theologus quondam Ienensis celeberrimus adserit, D. Ioh. Gerhardus in Meditat. sacris Cap. 38. de praesentis vitae fugacitate. Quod si in causas fragilitatis huius inquiramus, causa in genere est labes illa naturalis omnibus hominibus adhaerens, seu peccatum, cuius mors dicitur stipendium. (Rom. VI. v. 23.) Ad causas vero in specie quod attinet, & quidem apud eos, qui Ecclesiae Dei praesunt, gregemque, pretioso Christi sanguine redemptum, pascunt, varias istiusmodi dari in aprico est. Dantur *causae naturales & morales.*
In

In naturalibus primas sibi partes vindicare videtur debile & imbecille corpus, quod quis fortitus est, seu constitutio corporis morbida; unde fit, vt annis crescentibus plurimum firmitati membrorum & valetudini decedat. Et quamuis medicamen adhibeatur panchrestum, tamen tritum illud, *naturam expellas furca, tamen usque recurret*, numquam fallit. Proxime huic succedit *vita* Theologorum *sedentaria*, motione corporis tam necessaria destituta, cum crebris meditationibus & lucubrationibus coniuncta. Motus sanguinis ordinatus totius naturæ hominis est conseruatio. Quo quis plus caret, eo periculosior existit vitæ ratio. Spectes, quæso, homines ex casis prodeuntes, semperque in motu propter concatenatum corporis laborem existentes, quoniam robore isti valeant, & quam immunes plerumque sint a variis morborum generibus. Ex quo factum est, ut motionis defectus Medicis semper habitus sit non vltima causa valetudinis aduersæ, præsertim si meditationes assiduæ & lucubrationes accedant, vbi sæpius noctis maiorem partem lucubrando consumere & oculos vigilia defatigatos detinere debent, quicumque non desides in officio volunt esse Ecclesiæ doctores. Homines, qui litteris nullam nauant operam, qui epulando, aut equitando, aut venando, aut ludendo consumunt tempus, haud facile credunt, quantum molestiæ sanitati corporis adferat meditationum assiduitas, quippe qua vires corporis præsertim non robusti, concoctione stomachi debita

ces-

cessante, valde enervantur. Et quem fugit, quantum pulmones laborem subeant in orationibus sacris tam frequenter habendis? quodsi vero durissimus chalybs multo usu deteratur, quanto magis pulmones ex carne & quidem molliore, consistentes, ut indies deficient, & sanitas, praesertim in iis, qui ad phthisin inclinant, corrumpatur, necesse est. Non minoris momenti consideranda venit *Visitatio aegrotorum* in morbis praecipue contagiosis, quae plures, contagium attrahentes, vita longiori & senectute privantur. Quot praestantissimi Theologi, quos posteritas maxime dolet, sic optimo aetatis flore extincti sepeliuntur? ut aliis caussis, statum morbidum formantibus, quae in *Dissertatione Medica de Morbis Concionatorum* sub Praesidio Ernesti Henrici Wedelii Med. Doctoris, anno 1707. Jenae habita, recensentur, ubi & aeris *Usus* investigatur, jam supersedeam. (α)

In

[a] §. II. cit. dissert. hoc legitur: Postulat officii ratio, ut praecones verbi divini statuto tempore conciones habeant in templis, quicumque aeris status fuerit, quem non semper ita comparatum esse, ut temperamento & sanitati cujuslibet concionatoris conveniens sit, nemo forsitan negabit. Inprimis hyemali tempore frigidus aer, cui caput atque pectus in inspiratione exponuntur, ut de reliquo corpore nihil dicamus, alterationes morbosas facile tolerare inducere. --- Non pauciora mala humida aeris tempestas creat, qua humores superflui & excrementitii cumulantur, calor natus obtunditur, inprimis si frigiditas adjungatur, ubi cruditates atque defluxiones catarrhales observantur.

In *caussis moralibus*, vitam Theologi minuuntibus, non est vltima, sed primo loco ponenda magna ferme vbique hominum securitas atque impietas, quæ non Ecclesias particulares tantum, sed totas regiones inundat, operamque præconum verbi divini irritam facere vt plurimum videtur. Inde Filium Dei statum Hierosolymæ perversum, & regem Davidem pervicaciam violatorum legis divinæ deplorantem, ministri Ecclesiæ, quibus hominum salus curæ cordique est, merito imitantur, atque dolores haud exiguos ob contemptum veritatis Evangelicæ persentiunt. Accedunt porro variæ ab osoribus pietatis illatae contumeliæ, odium, afflictio & obrectatio, quando hostis ille infernalis, regnum suum destruentibus infestissimus, in instrumentis, quæ possidet, minatur, vitamque servorum Dei acerbiozem reddere omni nisu conatur. Vt taceam, quæ, his sepositis, accidunt, Apostolorum Principe id affirmante. (2. Cor. xi. 28.) Nam quemadmodum oratio & meditatio, ita & tentatio facit Theologum. Sed quot & quantæ Theologo contingunt tentationes? has mundus quidem nec perspicit, nec credit; summus vero coeli terræque gubernator, qui interiores cordis recessus penetrat, optime intelligit, audit videtque, quod servis suis anxium est & molestum, siquidem ipse unicuique onus quoddam, huic levius, isti grauius, immo gravissimum sapienti consilio ferendum imposuit. Attamen idem Deus, qui agere potest

potest ὑπὲρ πάντων, ὑπὲρ πάντων, ὅτι αὐτὸς μεθεῖ, ἢ νοῦς μου (Eph. III. v. 20.) mox huic, mox illi longiorem præter opinionem ministro verbi in his terris concedit vitæ periodum. Ut nonnullos tantum Theologos, qui ætate plures alios superarunt, iam in conspectum producam, ex Patribus Ecclesiæ Polycarpus, qui 86. Augustinus, qui 76. Epiphanius, qui 115. & Hieronymus, qui 90. annos vixisse dicuntur, non ignoti sunt. Tempore Reformationis, qua Ecclesia gaudebat, inter alios *Iohannes Bugenhagenus*, Pomeranus, Ecclesiæ Wittebergensis Pastor Academiæque Professor claruit; Hic Julini (alii Wollini) in Pomerania natus est anno Christi 1485. & placide obiit Wittebergæ anno 1558. annum agens vitæ septuagesimum tertium. (b)

Eandem fere ætatem attigit *Iohannes Brentius*, Theologus maxime celebris, qui Studgardix anno Domini 1570. ætat. vero 71. tranquille obdormivit. (c)

(b) Quod hic Theologus non otiosus, sed maxime laboriosus fuerit, tam opera ejus litteraria, quam Historici scriptores testantur, narrantes, nostrum Bugenagium totos annos 18. summa fide & diligentia in statione Wittebergensi constantissime perseverasse alienum ab omni prorsus ambitione atque avaritia: immo operam fidelem præstitisse plerisque Ecclesiis septentrionalibus pie recteque constituendis, videlicet Daniæ, Pomeraniæ & Saxonix tantquam legatum Dei & Evangelistam sanctissimum.

(c) Hic stupenda opera in vsum Ecclesiæ scripsit, hinc vocatur Commentariis in vniuersa Biblia Exegeticis & aliis scriptis Dogmaticis clarissimus Pastor & Præpositus Ecclesiæ vere Apostolicus, qui munere suo ad vitæ usque finem functus fuerit summa cum religione, fide, prudentia, dexteritate, industria, vigilantia, atque

Cyriacus Spangenbergius Nordhufanus, Theologus Mansfeldensis erudite doctus, auditor Lutheri quadriennio toto, annos in hac vita implevit 76 (d)

Ejusdem cum Spangenbergio ætatis fuit *Johannes Lonicerus* senior, Theologus, Orator Vates & Philosophus, qui obiit Marpurgi anno Christi 1569. Notatu digna sunt, quæ de morte ipsius referuntur, piissima & placidissima, nempe hunc Lonicerum suis, num dormire vellet interrogantibus respondisse: Jam indormiscam. Hæc ultima ejus fuit vox, cum qua illico expiravit, atque sic lætus ex vita migravit. (e).

Hoc annorum numero major fuit *Johannes Pseffingerus*, Theologiae Doctor & Lipsiensis Ecclesiæ quondam Pastor,

VIR,

atque maximo cum universæ Reipublicæ Christianæ commodo. Immo simul Reformandæ religionis auctor optimus, maximus cum M. Luthero & phil. Melanchthone.

(d) Scripta divulgavit plurima, & bis in exilium actus est.

[e] Natus est Lonicerus anno 1449. Orthernii, quod oppidum est comitatus Mansfeldensis vitæ integritate atque eruditione profundissima maxime claruit, quod plurima Industrie suæ, quæ reliquit, monumenta testantur. Inprimis, quando Augustanam Confessionem ante obitum Græce, & quidem ex tempore vertisse narratur. Hinc numquam illum otiosum, sed semper vel scriptioibus, vel lectionibus deditum fuisse dicunt. Vid. Vesuntius in vita illius. Monumentum, quod honoribus ipsius posuit Johannes Pistorius, & quidem quoad ultimos versus, hic exprimere et legere haud pœnitebit:

Sancte Senex salve æternum, celeberrime scriptis.
Æternumque vale, celsi pars maxima olympi.
Salve iterum, rursusque vale superaddite Divis!

VIR, juxta recensionem Vefuntii, ſpectatæ tum eruditionis, tum probitatis, & inſignis Theologus, qui anno 1573. ætat. 80. inter vivos eſſe deſiit. Nec eſt hoc loco prætereundus *Jacobus Vſſerius*, theologus quondam Britanniaæ celeberrimus, Archiepiſcopus Armachanus & totius Hiberniaæ Primas, qui litterarum ſtudiis incredibili, plane industria ingeniiſque felicitate addictus annos vixit 75. (f),

Ex noſtri ſæculi theologis, qui ſenectutem non omnibus conceſſam, ſingulari Numinis æterni favore adepti ſunt, præ multis aliis eminet *D. Philippus Jacobus Spenerus*, Præpoſitus olim Berolinenſis, theologus de Eccleſia Dei optime meritus, omnibusque bonis æſtumatiffimus, de quo prædicari, aliis quamuis ringentibus, omnino poteſt, quod de laudato Vi-

B

ſerio

(f) *Jacobus Vſſerius*, qui ao. 1580. Dublici in Hibernia natus & ao. 1655. obiit, Vaëlio eſt *væſte lectionis & eruditionis Theologus*. Et in Epift. dedic. Vſſerii Chronol. Sacr. præfixa rariffimum hocce de Vſſerio extat encomium: de tanto Præfule ſilere præſtat, quam pauca dicere, cum talis ſit [quod olim de Antonino Philoſopho dixit Hiſtoricus) *Quem mirari facilis quis, quam laudare, poſſit*. Pietatem ejus inſignem, perpetuam in legendo, ſcribendo, concionando industriam, eruditionem in re antiquaria Theologia, & omni humanioris litteraturæ genere ſummam, cum æquali modestia conjunctam fuſius laudare, nec opus, nec animus eſt,

Qvo nihil maius meliusve terris

Fata donavere, bonique Divi;

Nec dabunt, quamvis redeant in aurum

Tempora præſcum. Burnettus in vita Episcopi Bedelli de hoc Vſſerio ita fert iudicium: *Simul cum ingenti atque væſta eruditione ſua, nemo unquam meliorem animam, mentemque magis Apoſtolicam habuit. In ſua converſatione veram Chriſtiani ſimplicitatem exhibuit,*

ferio Thomas Barlovo, Episcopus Lincolniensis asseruit :
Virtus Vseriana est sui ipsius Panegyrica nec laudis nostræ indiga.

Sic *Virtus Speneriana est sui ipsius Panegyrica* neque laudis, quam plures Viro pientissimo & prudentissimo denegant, indiga. Hic beatus Spenerus 70. annos vivendo absolvit, & anno 1705. discessit. Ætate vero illam superat *D. Josua Schwartzius*, Pommeranus, Superattendens Generalis Ducatus Schleswicensis & Holsatiensis, ut & Præpositus Rensburgi & Flensburgi, qui anno 1709. in Festo Epiph. Domini diem obiit supremum ætat. 77. Cuius Pater *Jacobus Schwartzius*, Pastor & deinceps Senior Synodi Stolpenis, 60. annos munere Ecclesiastico functus obiit ætat. 86. Huius vero Pater *Josua Schwartzius*, Pastor Janvitziæ in Pommerania, filium atque nepotem ætate antecelluit, dum 100. & quod excurrit, annos mortalium coetui interfuisse fertur. (g) Exemplum ætatis fere sine pari in Theologo nostri æni relationes publicæ anno 1719. producebant, quando Pastorem Ducatus Holsatiensis prope oppidam Wolgastiam 20. ætatis 128. officii 98. & quod maxime mirandum, a nemine in officio adiutum, sed eodem rite recteque usque ad paucos ante mortem dies functum discessisse asseverabant. (h)

Æta.

(g) Vid. Fortgesetzter Sammlungen Alter und Neuer Theologischer Sachen de anno 1728. vierter Beytrag.

(h) Brunner in fato Theologico-Historico part. I. mentionem facit Pastoris in Westphalia, cujus nomen Titanus, quem sub finem seculi XVI. anno ministrii 107, ætatis 125, ad cœlites transiisse refert.

Ætatis provectioris Theologis, & quidem hac nostra
tempestate merito adnumerandus est *M. Otto Christianus*
Damius, Consiliarius quondam Consistorii & Superatten-
dens Comitatus Hohnsteinensis, ut et Pastor Ellricensis
Primarius, Theologus in officio sollertissimus integritate
vitæ, præcipue humilitatis amorisque studio in omnes,
etiam inimicos valde inclytus, imaginem summæ huma-
nitatis, dum viveret, referens, & ab omni cupiditate ter-
restrium, quæ plurima pars hominum anxie anhelat,
remotissimus. Hic præter opinionem, cum propter im-
becille corpus graviter & magno cum periculo variis vi-
cibus decubuerit 74. annos & 4. menses in his terris super-
stes fuit. (i)

Horum

[i] Natus est Ellricæ, quæ oppidum Comitatus Hohnsteinensis a. 1654. d. 1. Septembr. cuius Pater fuit *M. Thomas Damius*, Consi-
liarius Consistorii et per 26. annorum spatium pastor primarius
Ellricensis. Avus *Basilus Damius* itidem Pastor primarius eius-
dem oppidi qui 24. annos in ministerio vixit. Noster vero *M.*
Otto Christianus Damius ultra dimidium seculi, nempe 52. annos
officio Ecclesiastico functus est. Vbi notatu dignum, quod hi
tres *Damii*, Avus pater & Filius totum seculum & quod excurrit,
continua serie in eodem officio absolverint. Nec fatalis hora
ultimi nostri *Damii* est prætermittenda, quippe quæ ultimo anni
præteriti die adpropinquavit, die 31. Dec. 1728. quo Beatus men-
cendandi caussa accumbens, morte subita, ad quam quotidie se
præparaverat, correptus, atque sic expertus est, quod *D. Bar-*
tholdus Bottfaccus, Theologus quondam Haffniæ valde celebris,
de morte repentina, quam ipse subiit, paulo ante mortem ju-
dicavit, nempe: *Beatam mortem repentinam esse felicissimam*, Vid.
Christiani Reitzii Programma funebre.



Horum numero, qui clementissimi Dei beneficentia vitam longævam vixerunt, & TE *socer Venerande*, accenseo. Quantum laboris & molestiae semper subieris non solum in addiscendis bonis artibus, quibus te ateneris mancipasti, sed potissimum in provincia tua Ecclesiastica, quam cum utilitate & laude 40. annos (nî fallor) administrasti, pluribus possem commemorare, nisi vererer, ne modestiæ tuæ hoc magis displiceret, quam placeret. Missis aliis, quarum haud expers fuisti, calamitatibus, *Sexaginta* tamen & *sex* annis aetatis tuæ iam superatis vivis adhuc, quod ingens Dei beneficium est, sospes, vegetus, omnemque laborem, quem officii postulat ratio, tu stines libenter & perficis strenue.

Quare laetitja perfusus *Natali* hocce tuo Deo Servatori & statori humanarum & omnium rerum, gratias ago debitas, demissa mente ipsum rogitans, ut lenio tuo, *astumatissime Socer*, perennitatem, cum incolumitate coniunctam, per longos annorum ordines praestare velit, quo serus ad cœlum redeas, atque sic inter aetatis longævae Theologos non vltimum locum obtineas. Idem Deus TE sustentet, protegat, defendat, et in cœptis adiuvet, audiatque tuorum tot suspiria, tot vota, pro salute tua nuncupata, quo accessio vitæ non exigua fiat, in honorem Supremi, cuius gregem pascis, tuorumque solatium et emolumentum. Dab. Nohrae
d, 2. Febr. anni MDCCXXIX,



110

bus,
sci-
rina
ntia
di-
offi-
la-
oera
eta?
ter,
ne,
im-
enes
nat,
co-
ali-
um
leo,
rito
ibus
at-
iffi-
mus
uar,

Ja 168d

ULB Halle

3


007 506 058




168d

nc







3 6 7
EPISTOLA
DE
ÆTATIS LONGÆVÆ THEOLOGIS,
QVA
VIRO
MAXIME REVERENDO ATQVE
DOCTISSIMO,

M. GEORGIO BASILIO
BRINCKMANN,

PASTORI COENOBII ILFELDENSIS
MERITISSIMO

P 534
NATALEM LXVII.
DIE II. FEBRVAR. MDCCXXIX.

GRATVLARI VOLVIT

GENER

CONRAD GERHARD GROSHEIM,
PASTOR NOHRÆ, WOLLERSLEBII
ET MOERBACHII.

NORDHVSE,
LITTERIS COELERIANIS.

